

erit: id quod per lapsum protoplastorum evenisse, Sacrae literae testantur. Comment. in Genesim pag. 14.

73. Exceptit ergo nobilissimam hanc Dei εἰκόνα sive Imaginem ipso statim primo conditi Adami die, si Irenæo credimus, horrēda planè, ac ineffabilis totius naturæ humanæ, omniumq; ejus virium deformatio & corruptio, quam PECCATVM ORIGINIS nominare solemus.

74. De hoc & Quid sit, & Quale sit, in Theologorum Scholis semper variè fuit disceptatum, ac in diversas planè sententias tum Patres, tum Scholastici etiam Doctores abierunt.

75. Missis in præsentibus definitionibus, de quibus Apologia Articuli hujus eruditè disputat, omnium accuratissimam eam esse judicamus, quam Confessores nostri conceperunt, desinientes Peccatum originis, morbum naturalem, & omnibus hominibus innatum contagium atque vitium, quod nos non modò sine metu & fiducia DEI, & per concupiscentiam totos depravatos effecit, sed & æternæ damnationis, nisi regeneratio interveniat, reos constituit.

76. Confutatores Pontificij in ipsis comitijs Augustanis hanc definitionem vellicabant, hoc potissimum nixi argumento: Sine metu DEI, &  
 sine